

Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies primus et secundus continentur

Bolland, Johannes

Parisiis et Romæ, 1866

§. XXXVII. Gravissimam, absente Sancto, religiosi Cartusiæ Majoris incolæ
tentationem patiuntur; natum comiti Rogerio filium Sanctus baptizat,
novoque abs illo beneficio afficitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73889](#)

AUCTORE
C. R.

redisce Bruno videtur, tum quod hanc cura sua summopere adhuc indigere nosset, tum quod Calabriæ et Siciliæ comes Rogerius, sanctum Vi-
rum, quem, nondum fere cognitum, quod sanctissimis ejus precibus præsidium sibi ditionibusque suis a Domino speraret ad futurum, obnoxissime ex dictis, ut, quem vellet, locum in ditione sua sibi deligeret, jam inde ab anno 1090 erat precastus, quemque, jam probe sibi cognitum, non secus ac Sanctum colebat, reverti in Calabriam omnibus modis velle; nec Bruno posset non satisfacere desiderio principis tam pia tamque benevoli, quem in se socios suos, ut jam vidimus, maxime be-
neficium fuerat expertus.

et quid in re-
diu ad Cala-
briæ eremum
egisse trada-
tur.

604 Utu sit, Sanctus euidem a concilio Placentino, si forte huic interfuerat, in Calabriam rediit, nec Cartusiam, ut id facere maxime fortassis desideraret, repetere ei visum fuit. Ac Sanctum quidem, cum a concilio illo Calabriam repeteret, ad locum, duobus milliaribus Senis dissitum, divertisse, aliquamdiu ibidem commoratum esse, vicinos Sénenses aliquoties hinc adiisse, ac tandem monitis suis, ut ad Urbanii Papa II, a quo, quod Guiberto antipapæ adhaerent, sub interdicto posita fuerat eorum civitas, obedientiam accederent, effecisse, Zanottius in S. Brunonis Historia seu Vita cap. 23 memoria prodit, citans etiam pro hac sua narratione Vi-
tam S. Brunonis Ms., cuius auctor sit Fulgentius Ceccaronius; verum, cum fuisse illud a Sancto nostro factum, a nullo scriptore alio com-
memoratum inventum, nec Fulgentius Ceccaronius, e quo id Zanottius hausit, pro scriptore antiquo, habita utatis, qua post S. Brunonem floruit, ratione, possit haberri, commemorari hic a Zanottio, que veritati consonant, asseverare haud quoque, remque proinde in medio relinquent, ad ea, que Sancto, ad eremum Calabrinam jam reverso, obvenere, discipulique ejus in Cartusia passi esse narrantur, sermonem converto.

C § XXXVII. Gravissimam, absente Sancto, religiosi Cartusiae Majoris incolæ tentationem patiuntur; natum comiti Rogerio filium Sanctus baptizat, novoque abs illo beneficio afficitur.

Brunonis in Cartusia di-
scipuli gra-
vissimam ten-
tationem pa-
tiuntur,

N Non redisse S. Brunonem a celebrato, cui ex dictis forsan interfuerat, Placentino concilio ad Majorem Cartusiam, religiosis hugis incolis impotunum sane quam maxime accidit, si vera memoren nostri biographi; gravissimam enim, si hi recte scribant, a demono temptationem passi sunt, in quo, si dilectis discipulis Vir sanctus adiussit, solatio eis iuxta ac auxilio esse potuisset. Tentationem illam, que, si locum vere habuit, haud ita dudum, uti ex dicendis intelliges, post Placentinum concilium, aliudque, quod proxime hoc exceptit, Claromontanum verosimilius accidit, Blomenvenna verbis commemorare hic luet. Is itaque Sancti biographus, e quo et Puteano, que eodem spectantia Surius suppeditat, mutuatus est, sic scribit: Non defuit in paradiso hoc

spirituali (Cartusia nimirum) etiam serpens antiquus. Presentiens nempe, quanta damna accepturus esset ex Ordine illo, cuius fundamenta jam tunc jaciebantur, maxima illos pusillanimitate et perplexitate turbavit, præcipue per linguis, id est, eos, qui novitatis ipsos argentes, scilicet periculum occasionis proprie ingebabant, adeo ut prorsus nescirent, quid agendum sibi esset, tum propter vite instituta rigorem, tum propter heremum horribilem, in qua se periclitari, illorum moti sermonibus, formidabant et ipsi. Econtra vero timebant, si abirent, duces suas stellas Deumque offendenter.

606 Tali fuere a maligno spiritu Cartusiae eaque per Majoris incolæ, Brunone absente, tentatione vexati; cuī sane dispellendæ opportunitas maxime Sanctus fuisset; verum quod hic absens præstare non potuit, benignissime id, si fides iterum scriptoribus mox dictis, præstare dignata est divina Clementia. Cumque (subdit verbis proxime recitatis Blomenvenna) his aliquamdiu exigitati essent perplexitatibus, ecce, benignissimus Dominus, qui numquam deserit sperantes in se, misit ad eos, de hac re colloquentes (sicut de Spiritu scribitur, Nescis, unde veniat, aut quo vadat) virum honorabilem, crispis ac canos habentem capillos, dicentem eis: « Perplexi » estis, fratres, utrum manere in loco hoc, an » recedere debeatis, sed ego dico vobis ex parte » Dei, quia beata Dei Genitrix semper Virgo » Maria conservabit vos in loco isto, si Horas » ejus legeritis ante Horas canonicas; Comple-
torium vero post eas. » Quo dicto, disparuit homo; illi vero gavisi sunt gaudio magno, elegeruntque beatam Virginem Mariam in patronam Ordinis, in patronum vero sanctum Johannem Baptistam. Hominem autem illum sanctum Apostolum Petrum fuisse, ex illo vel maxime coniecebant, quod successor ejus Urbanus secundus in concilio Claromontensi Horas beatæ Mariæ a clericis quotidie dici instituit. Ex hac autem visione adeo sunt confortati in Domino, ut nec mors, nec vita ipsos posset separare a charitate Christi. Hactenus Blomenvenna: nunc in verba ejus, seu potius in ea, quæ hisce memoria prodit, docete, quædam observanda.

F

Hec, que an omnia, quo-
rum causa
asseritur, vera
etiam causa
exsisterit,

607 Ac primo quidem, quod pertinet ad apparitionem, qua S. Petrus primis Cartusiae incolis seu Landuino ejusque sociis, sensi specie assumpta, spectandum sese præbuerit, ad quotidianam eos Parvi de sanctissima Virgine Maria Officii recitationem excitari, factumque sit, ut illi et periculosis tentationis liberauti fuerint, et in Ordinis sui patronam quidem eamdem sanctissimam Virginem Mariam, patronum vero S. Joannem Baptistam elegerint; eventum illum quidem, ut nec scriptoris, nec monumenti satis antiqui seu æqualis testimonio auctoritate confirmatum, indubitanter negare idcirco non ausim, quod ei tum constans, uti eam vocant, totius Ordinis traditio, tum assidus in eodem recitanti Parvi de Sanctissimo Virgine Officii usus suffragetur; verum nihilne etiam est, ob quod, an apparitio illa, eave, que hanc secutæ narrantur, locum unquam habuerint, dubitandum queat videri? Sanctissima Virgo Maria in patronam, et sanctus Joannes Baptista in patronum, utpote in quorum honorem ex supra dictis Cartustiam S. Bruno considerit, diu ante memoratam apparitionem a Sancto ejusque discipulis verosimiliter fuere electi; ut proinde an electionis hujus

AUCTORE
C. B.

A hujus causa, ut verbis recitatis Blomenvenna innuit, apparitio illa exstiterit, sit dubium, maxime cum ea (videsis Blomenvenna verba proxime data) Landuino ejusque sociis, non S. Joannes Baptista, sed S. Petrus Apostolus videndum sese obtulisse memoretur, posterioreisque proinde e duobus hisce Sanctis, non autem priorem, si electionis, quam Blomenvenna memorat, praefata apparitio causa exstisset, in patronum sibi illi electuri fuisse videantur. Adhuc Ruinartius in Vita Urbani II Papæ siveissime jam laudatum. 226 sic scribit: Ferunt etiam, hac ipsa sacræ expeditionis occasione preces horarias beatæ Marie, quæ jam ante Petro Damiano in suis monasteriis erant instituta, a clericis, immo et ab ipsis laicis ex Urbani prescripto (in Claromontana scilicet synodo, in qua sacra in Terram Sanctam expeditiones decreta fuerunt, condito) frequentari ceperisse, ut eo pacto, qui expeditioni suscipienda inhabiles essent, his saltem precibus milites adjuvarent, eis tantæ B Virginis patrocinium promerendo.

est dubium,
concilio Cla-
romontano,
contra ac
Petreius,

608 Cum ergo, ut preces illæ horariæ de beatissima Virgine, quæ vulgo ejus Officium appellari conveverunt, a clericis recitarentur, ab Urbano Papa, uti recitata Ruinartii verba declarant, clericis injunctum fuisse feratur, imo re ipsa, ut appareat, in concilio Claromontano (adi Labbeum tom. X Conciliorum col. 317) fuerit injunctum, Cartusiani ut idem facerent, recenti illo Urbani prescripto moveri potuere; quare, cum ad id appariatione, Blomenvenna verbi jam relata, opus haud habuerint, fuerint hæc vere, ut preces illæ recitandas assumerent, impulsi, dubitari posse videatur. At vero, erit fortassis, qui, ut id dicta appariitione factum, tueatur, concilii Claromontani celebrationem fuisse hanc anteriorem, contendat. Atque in hac quidem opinione fuisse videtur Petreius. Etenim in suis in Dorlandi Chronicón Elucidationibus lib. iv, cap. 4 sic scribit: Apparens eis (Cartusianis) D. Petrus Apostolus consilium salutare suggestit, quatenus Horas canonicas in honorem sacratissimæ Virginis quotidie decantarent, quod deinde etiam cleris universus, uti ex decretis Claramontens. concilii constat, imitandum suscepit. Ita ille: verum quod hic asseverat, nulla plane C argumento probat, nec sola sua auctoritate, ut fidem ei adhibeamus, facere potest. Dorlandus, quem sua illa observatione elucidare Petreius voluit, Sanctum Petrum Cartusianis, quibus apparet, ita loquenter inducit: Unum noveritis, sacratissimam Dei Matrem Mariam vos hic ab incommodis omnibus servaturam, et patronam vestri Ordinis futuram, tantum Horas ejus, ut nuper in Romana Ecclesia institutum est, de- canticetis.

a quo Blomen-
venna aliisque
dissentunt,

609 Cartusianis ergo S. Petrum appariuisse, eosque, ut Horas beatissimæ Virginis Mariæ recitabant, admonuisse eo tempore, quo haud ita pridem Horarum beatissimæ Virginis recitatio in Ecclesia Romana statuta fuerat, Dorlandus existimavit, ac proin, cum hæc alibi, quam in Claromontano concilio, statuta fuisse non reperiatur eo circiter tempore, quo dicta apparitione contigerit, concilio illæ hanc exstississe posteriorum. Atque hoc ipsum etiam existimavit Blomenvenna, uti satis manifestant, que, postquam dictam Apostoli Petri apparitionem narravit, mox subjungit, sequentia hæc ejus supra adhuc recitata verba: Hominem autem illum sanctum Apostolum, Petrum fuisse, ex illo vel maxime

conciebant quod successor ejus Urbanus secundus in concilio Claromontensi Horas beatæ Mariæ a clericis quotidie dici instituit. Blomenvenna porro assentitur etiam Surius; etiæ autem nec hic, nec Blomenvenna et Dorlandus ullum afferant, quo opinionem suam firment, testimonium monumentum antiquum, tribus tamen hisce scriptoribus, si memorato S. Petri Apostoli apparitio locum unquam habuit, potius adhærendum autem, quam uni Petreio. Hic enim illam concilio Claromontano anteriorem facere dumtaxat videtur ex preconcepta opinione, qua Horas sanctissimæ Virginis Mariae recitandi consuetudinem a Cartusianis primus usitatam ac deinde ab hisce ad alios propagatam fuisse existimat. Ast ea a veritate omni dubio procul est devia.

610 Elenim, teste Petro Diacono in Reg. S. Benedicti cap. 64, Horas sanctissimæ Virginis jam in monte Cassino addebatur quotidie Officio majori ex constitutione Gregorii II Papæ, qui anno 713, ac proin diu ante ortos Cartusienses Pontificatuum initit. Adhuc earundem Horarum recitationem in quoddam suorum monasteriorum, in quibus frequentari hæc solebat, divinitus confirmatus fuisse, contra Bozonem monachum, sanctæ illius consuetudinis improbatorem, Petrus Damianus, qui ante Cartusiensis Ordinis initium, conciliumque Claromontanum ad Superos jam migrarat, epistola 52 ad eremitas Gamugnen- ses doceat. Jam vero, cum id ita sit, præstatam, qua S. Petrus Cartusianis apparuerit, eosque, ut quotidianum sanctissimæ Virginis Mariæ Horarum pensem solventer, monuerit, appariitionem concilio Claromontano posteriore exstisset, ob Dorlandi simul, Blomenvenna et Surii auctoritatem, quæ ob jam dicta unius Petreii auctoritate potior hæc esse debet, verosimilius existimo. Jam vero cum res ita habeat, fueritne, ut quotidianus recitandi Parvi de sanctissima Virgine Maria Officii usus apud Cartusianos invadesceret, appariitione illa factum, dubitari posse, ut jam dixi, videtur, ac proin, cum merito præterea, an hi, ut sanctissimam Virginem Mariam in Patronam, sanctum vero Joannem Baptistam in patronum eligerent, eadem ista appariitione impulsus fuerint, dubitandum ex jam supra dictis sit, habueritne hæc ipsa unquam locum, dubitandum etiam apparet. Miki interim eam hic commemorare visum est, quod, quævis ex dictis, si locum unquam habuit, concilio Claromontano fuerit posterior, fortassis tamen ipso adhuc anno 1093, cuius Novembri celebratum id fuit, acciderit, hicque de rebus, hoc circiter tempore gestis atque ad Sanctum spectantibus, esset tractandum. Rerum modo, proprius nonnihil hunc tangentium, seriem prosequamur.

611 Haud dudum Bruno e Placentino conci- lio, si tamen huic illum interfuisse, verum sit, erat reversus, cum Rogerius comes, quanto in pretio ac amore eum haberet, aliter etiam, quam donationibus, in Turritanam Calabriæ eremum, uti ante fecerat, liberalissime collatis, manifestavit. Camillus Tatinus proxime iterum laudatus in Historiæ Ordinis Cartusiensis Prospectu ad annum 1097 ita memorat: Nascitur comiti Rogerio ex Adelaida filius, quem Bruno in ecclesia Militensi baptizat, et Lanvinus a fonte levat. Fuit is Rogerius primus Siciliae rex. Interfuit Mairaldus et ipse Carthusianus, qui melicum in hac functione Rithmum edidit. Ita ille; verum an Rogerii, primi post exactos e Sicilia Saracenos insulae hujus regis, nativitatem anno 1097 recte consignat?

opinatus est,
verosimilius,
si unquam
accidit, fuerit
posterior.

E

F

Rogerium co-
mitis Rogerii
filium, qui non
anno 1097,
ut Tatius
statuit,

AUCTORE
C. B.

*consignat? Romuallus Salernitanus, auctor synchronus, in Chronicō apud Muratoriū tom. VII rerum Italicarum Scriptorū col. 196 de Rogerio, Rogeri comitis filio primo Siciliæ rege, sic scribit : Gloriosissimus rex Rogerius post tot victorias et triumphos apud Panormum febre mortuus est et sepultus in archiepiscopio eiusdem civitatis anno vitæ sua quinquagesimo octavo, mensibus duobus, diebus quinque, xxvi die mensis Februarii, anno regni sui xlv; anno autem Dominicæ Incarnationis mclii, Indict. 1. Ita Romualdus; qui cum optime, quo ætatis sue anno Rogerius rex obierit, explorator habere poterit, re ipsa hunc, ut verbis recitatis tradit, ætatis sua anno quinquagesimo octavo obiisse, in animum induco. Rogerium quidem, non anno, ut hic Romualdus seu potius recitata scriptori- que huic altritura verba signant, Dominicæ Incarnationis 1132, sed anno 1134, ad 27 Februarii diem proiecto, vitam cum morte comutasse, Pagius in *Criticis* ad hunc annum luculentissimis argumentis evincit, nec dubium est, quin alii adhuc errores in Chronicis, quas Romualdi*

*sed anno, uti
partim ex
Romualdo
Salernitano.*

B huc transcriptus textus exhibet, notis cubent.
612 Verum hæc compendio per litteras, numerorum locum tenentes, scriptæ duxatae sunt; in quas librariorū oscitantia errores facillime nec raro irrepre, experientia habetur compertum; quo autem atlatis suæ anno diem extremum Rogerius clauserit, non compendio litteris numericis, sed vocibus integris, in quas errorem difficuler aut certe non tam facile tanque frequenter irrepre, eruditii omnes norunt, in recitato Romualdi textu exprimitur; adhuc nihil plane uspiam occurrit, quod Rogerium altero vitæ suæ anno obiisse, suadere utcumque sit natum; ut proinde, si non certum, verosimilimum saltem sit, eum assignato in Romualdi textu Vitæ suæ anno 58, et quidem, uti infra docebo, duobus jam mensibus ac quinque diebus, qui integris pariter in eodem textu vocibus exprimuntur, jam completo, diem suum obiisse. Jam vero, cum id ita sit, annique quinquaginta octo, menses duo, dies quinque, ex anno Incarnationis Dominicæ 1134, ad 27 Januarii diem jam proiecto, quo Rogerium regem et vivis abiisse, Pagius ex dictis luculentissime probatum dat, subducci, ad Dominicam Incarnationis annum 1093, prope jam terminatum, deducant, consectarium est, ut Rogerius rez, in cuius tempus natale hic inquirimus, posteriori hoc anno, ad Decembrem jam proiecto, natus sit.

*quidquid
etiam e Ma-
laterra in
contrarium
asseratur*

615 *At vero, inquies, Gausfredus Malaterra, non raro jam supra laudatus, qui majorem utique hic fidem, quam Romualdus mereri videtur lib. iv Historia Siculae, cap. 26 de Capua, per Rogerium, Apuliæ, Calabriæ et Siciliæ ducentum, hujusque patrum Rogerium, Calabriæ et Siciliæ comitem, obsessa, sic scribit : Anno Domini incarnationis MCVIII ibi (in castro scilicet ante Capuanam obsessam) se impregnavit comitissa Adalasia de comite Rogerio; cum autem hic de Rogerio postea rege ab Adalasia seu Adelaida concepto sermo sit, nec quenadmodum ea infra diendis de tempore, quo Capuanam obsidio acciderit, patescat, Rogerius comes Adalasiæ maritus ante Pentecosten, quæ anno 1097 in vigesimam quartam Moji diem incidit, in Castris ante Capuanam, dabo etiam, civitatem hanc anno illo a Rogerio comite fuisse obsessam, exstisit potuerit, consuetarum et recitatalium Gaufridi Malaterræ verbis sit, ut Rogerius, primus*

*Siciliæ rex, non anno 1093 sere jam finito, sed D
anno demum 1098 ineunte natus sit. Fateor, sic
habet: verum, præterquam quod sic eidem nondum
nativitas illa anno 1097, cui cam ex dictis
Camillus Tulinus innecit, acciderit, esse de Ro-
gerio postea rege, quem Adelasia in castris ante
Capuam et Rogerio comite marito suo conceperit,
in huc translati et Malaterra Historia Sicula
verbis sermonem, probari non potest. Nec, etsi
secus foret, quidquid inde pro Rogerii regis nativitate
anno 1097 affigenda haberetur, cum
verba illa Malaterræ attribuenda non sint, sed
ad pagina oram, e qua deinde in ipsum textum
ab imperito librario fuerint traducta, ab inepto
adnotatore fuerint adscripta, ut infra ostendam,
cum tam de Capuanæ obsidionis tempore, quam
de diplomate, quo post hanc S. Brunoni eremaque
Calabrina multa bona Rogerius comes contulit,
sermonem instituam.*

614 *Miki itaque, omnibus consideratis, Rogerium, Rogerii comitis filium, posteaque Siciliæ regem, non anno 1096, ut statut Tutinus, sed anno 1093 exente natum esse, verosimiliter adhuc manet partus ob sequentia, que supra adhuc recitavi, Romualdi de Rogerio rege verba, Mortuus est... anno vite sua quinquagesimo octavo, mensibus duobus, diebus quinque, partim quod hæc, quamvis Romualdus in Chronico suo annum, numero ordinali, quem ei adjungit, designatum, pro anno completo absque additione, qua fieri id a se aperte edicat, accipere non solet, de anno tamen quinquagesimo octavo, duobus jam mensibus ac quinque diebus completo, interpretanda hic sint, ut liquet et sepulchrali inscriptio regis Rogerii, que apud Rocchum Pirrum in regnum Siciliæ Chronologia, Siciliæ Sacrae tom. I præpza, pag. 8 exstat, quæque sic habet: Vix. an. LIX, regn. XXIV. obiit MCLIV. Jam vero, cum id ita habeat, annique quinquaginta octo, menses duo et dies quinque, a vigesima septima Februario die anni 1134, quo ex dictis idem princeps omni dubio procul vita functus est, ordine retrograde computati, ad annum 1093 sere elapsum deducant, consequens est, ut tum, quemadmodum jam dictum, Rogerius rex natales sit consecutus. Quod cum ita sit, simul etiam tempus, quo baptizari eum a Brunone contigerit, determinatum habemus. Verum unde constat, *F* Sancto id honoris a Rogerio comite delatum fuisse, ut baptizari ab eo filium suum voluerit?*

se, ut obipari ad eo pium suum votuerit?
613 Inter eremii Calabrinorum incolas, qui post sacris unidas,
S. Brunonis obitum novi Prioris seu Magistri, uti in melico,
qui toti eremo præcesset, electioni interfuerunt,
a se compositio Maraldus recensetur in infra huc transcribendo
corundem Catalogo, qui in antiqua charta, cui
singuli nomina sua ipsimet inscriperant, suis
repertus. Maraldi etiam, Cartusiensis monachi,
qui Chronicon quoddam digesserit, Rocchus Pir-
rus in regnum Siciliæ Chronologia libigere non
raro meminit, eumque poetica vena diximus fuisse
se, atque ad annum 1093 floruisse, Morotius in
Chronologico Ordinis Cartusiensis Theatro affir-
mat. Atque ex his omnibus jam fit, ut et Maral-
dum, Cartusianum Calabrinum alumnum, Rogerii
postea regis baptismo, ut Tutilinus ait, vere adstituisse,
et a Sancto nostro Rogerio, primum post exac-
tos Saracenos Siciliæ regem, uti is in Rhythmo
melico, quem ea de re, Tutilinus aliquis testantibus,
cecinit, nos docet, baptizatum vere fuisse, persua-
sum mihi habeam, futurumque putem, ut idem
mecum e monumento isto studiosius lector persua-
sum sibi habeat. Id proinde integrum huc e Tu-
tino

A tino transcribere, operæ pretium existimo, licet
interim locis nonnullis ita male vel ab ipsomet
auctore versiculi tornati, vel describentium errore
vitiani sint, ut vix ac ne vix quidem, quid iis
significetur, intelligas.

hucque trans-
scripto

616 His itaque constat versiculus.

Totus orbis claret orbis
Claro natalicio :
Marchionis Miltonis
Bonifacii Itali
Neptis ornat, quem exornat
Uxor Adelasia,
Brutorum Siculorum
Comitem Rogerium;
Et Northmannum venerandum
Donat foetu femina
Generosa, gloria
Quem enixa peperit.
Avitum * sensit, se præsensit
Comes ille filio,
Mense deno qui terreno
Tectus exit pondere.
Militensis fit immensis
Urbs antiqua gaudiis.

Imma cuncta stant injuncta

Lætis et Trinacria.

Chorus latus ac discretus

Læta ludit carmina,

Pro lavacro divo sacro

Unde tum lustralis

Comes orat et exorat

Brunum Alemanicum;

Nam tenetur, ut ligetur

Illius devotio.

Accersitus non invitus

Jubilosus advenit.

Baptizatur et lavatur

Sacro puer flumine,

Lanuinus est patrinus

Nobilis Northmanicus,

Tumque sacro de lavacro

Olivio Bruno inungitur.

Rhythmo
Maraldus
fadem facil,

617 Sistunt bellum post puellum

Christo Deo supero.

Felix omen, tenet nomen

Puer hic Rogerius,

Canunt omnes, stant insomnes

Metris jubilantibus.

Ardet forus, gaudet thorus

Nimis præ gaudio.

Militensis nam ostensis

Gaudebat ecclesia,

Quia tapete cum abierte

Exornata cernitur;

Fronde viret, nemo silet,

Cuncti ludunt gaudiis.

Tum Urbanus, sed humanus

Jubilat natalibus,

Hic secundus, totus mundus

Quem adorat protinus

Christi sede cum mercede

Regni beatissimi;

Hic precatur, dum levatur,

Puerili domino

Salutarem atque parem

Vitam Christi celibem.

Ergo nato, sed renato

Christus regna puer

Donet celi dono zeli

Simul et justissimo.

Summo jugis laus frugis

Deo sit in sæcula. Amen.

C

AUCTORE
C. B.
Sanctus
abluit,

618 Habueritne Adelasia, comitis Rogerii uxor,
ut patrem, ita etiam avum aut patrum, nomine
Bonifacium, ex horum versiculorum tertio et tri-
bus seqq., quod admodum obscuri sint, definire
non ausim; ereliquis autem, quorum quinam præ-
terea obscuritatis vitio maxime laborent, quisque
facile, me etiam tacente, perspiciet, notandi poti-
ssimum, qui et Sanctum a comite Rogerio, ut
filium suum baptizaret, rogatum fuisse, et id
illum muneric obiisse, docent, sunt sequentes :

Pro lavacro divo sacro
Unde tum lustralis
Comes orat et exorat
Brunum Alemanicum;
Nam tenetur, ut ligetur
Illius devotio.
Accersitus non invitus
Jubilosus advenit,
Baptizatur et lavatur
Sacro puer flumine,
Lanuinus est patrinus
Nobilis Northmanicus,
Tumque sacro de lavacro
Olivio Bruno inungitur.

Atque hisce quidem versiculus quid significetur, E
satis liquet; ne quis tamen de ultimi significatione,
quæ hue potissimum spectat, forte dubitet, Bruno
in hoc dative est, a nomine Brunus, quod poeta
hic, uti e duobus hisce anterioribus ejus versicu-
lis, Comes orat et exorat Brunum Alemanicum,
manifestum fit, pro nomine Bruno usurpat, de-
ductus, proque ablative cum præpositione a præ-
cedente Græcorum more adhibitus; ut versiculi
illius sensus sit Olivio a Brunone inungitur, do-
ceatur cum nonnullis proxime antecedentibus et
consequentiibus, Rogerium, Rogerii Calabriæ et
Siciliæ comitis, filium, a S. Brunone Mileti in
Calabria solemni ritu, idque anno, uti ex jam
supra dictis pronuntiatur, 1093 esse euntem fuisse
baptizatum.

619 Haud multum porro temporis spatium a
Rogerii, postea Sicilia regis, baptismate erat elas-
psum, cum Sanctus benevolum iterum in se Ro-
gerii, Calabriæ et Siciliæ comitis, animum fuit
expertus. Docet id me Surianus, in suis ad con-
scriptam a Surio S. Brunonis Vitam Annotationi-
bus pag. 597 sic scribens : Anno mxcvi Rogerius
comes villanos quosdam donat S. Brunoni, dato
diplomate, in quo se Christianorum adjutorem
intulat. *Donatio, quam hic Surianus commen-*
tatur, eadem haud dubie est, de qua ad eundem
hisce Suriani verbis notatum annum 1096 in Or-
dinis Cartusiensi Historiæ Prospectu Camillus
Tutinus ita loquitur : Additur et alia ab eodem
comite Brunoni et Lanvino, eorumque in dicto
*monasterio (*Turritano scilicet in Calabria*) suc-*
cessoribus donatio quinquaginta hominum fami-
liae unius in eosdem ligii et homagi. Privile-
gium Græco idiomate exaratur. Privilegium seu
diploma, quo donationem illam Sancto factam,
Camillus Tutinus et Surianus verbis recitatis
asseverant, invenire nupsiam potu; non dubito
tamen, quin id alteri saltem horum scriptorum,
Tutino nempe, qui id Græce exaratum dicit, ad
manum fuerit. Quare et donationem illam Sancto
vere etiam a comite Rogerio factam fuisse, per-
suasum mihi habeo, licet interim, quo rem certio-
rem lectori reddere possem, privilegium illud seu
diploma, hic ei exhibendum, vellem habere.

novoque haud
dudum post
beneficio a co-
mite Rogerio
afficitur.

F